

~~VI-19.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

VI-19.

SIGNAT. C1515CCCXIII.

theol. Vol. 40

einzelne verzettel 30/3. 1915.

Index Dissertationum hoc volumine contentarum.

- I. Jos. Georg. Neumannii de Passione Christi exuenta vicaria.
- II. Jos. Frid. Michaëlis de Iudice iuste non iniuste judicante, <sup>Pres. Wernsdorff</sup>
- III. Jos. Georg. Neumannii de descensu Christi ad Inferos.
- IV. Martin. Kladeini de Excommunicatione Baptismati.
- V. Eundem de Professione Fidei Baptismati.
- VI. Jos. And. Wendstedt, de Participatione Divine Naturae electis  
Dei Filiis facta.
- VII. Jos. Scharffii de Principio Fidei.
- VIII. Gottlieb Wernsdorffii Modus in Scriptis H. H. Grafturpe.
- IX. Petr. Frid. Schroëeri de Reprobis Christi morte redemptis.
- X. Abr. Calvini & Rodolphi, quod Deus omnes homines Salvos fieri de-
- XI. Jos. Georg. Neumannii de Circumcisione Sanguinis & iustitia.
- XII. Abr. Calvini de Propitiatione pro peccatis nostris
- XIII. Jos. Georg. Neumannii Unctio omnia docens
- XIV. Jos. Caspar Haffering de Veritate non nisi veritate dignente
- XV. Andrea Kunadi de Incarnatione Filii Dei
- XVI. Jos. Meisneri de Verbo Dei.
- XVII. Samueli Orghii Hung. de Impossibilitate creditus in gratiam  
Semel amissam. Profuse Valentino Weltsen.
- XVIII. Jos. Georg. Neumannii de Pontifice N. T.
- XIX. Abr. Calvini de Sessione Christi ad dexteram Dei.
- XX. And. Kunadi de Magni Pastoris curia ex mortuis resurrectione.
- XXI. Abr. Calvini de Vana Pseudo-Christiana Religione.
- XXII. Eundem de Vera verorum Christianorum Religione.
- XXIII. Sebastiani Schmidtii de fide Viva et mortua.
- XXIV. <sup>Fugge 1711, Müller</sup> Gottlieb Wernsdorffii de serore tepore et serore Ogis. <sup>Constantine.</sup>
- XXV. Abr. Calvini de pugna Michaeli et Draconis
- XXVI. Jos. And. Wendstedtii Urbs Erla-lopes #. 26
- XXVII. Jos. Meisneri de libro vite.
- ~~XXIX.~~ Eund. Flumen crystallinum
- XXVIII.

DL

/

Q. D. B. V.  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
**PASSIONE CHRISTI**  
**CRUENTA VICARIA,**

*Ex Oraculo Petri, Ep. I. c. I. v. 18. & 19.*

- quam,  
**PRÆSIDE**  
**VIRO**

*Summè Reverendo, Magnifico, Amplissimo  
atq; Excellentissimo,*

**DN. JOH. GEORG. NEUMANNO,**

S. S. Theol. Doct. & Prof. Publ. longè Celeberrimo,  
Alumnorum Elector. Ephoro Gravissimo, Acad. Bibliothecario  
meritissimo, & p. t. Ordinis Sacri DECANO  
maximè Spectabili.

*Domino, Patrono, Præceptore studiorumq; suorum  
Promotore, atatem venerando,*

Publico Examini submittit

AUCTOR & RESPONDENS

**M. DAVID LUDOVICUS HILLIÛS,**

Ecclesiæ Stolpensis, quæ est Pomeranorum, Diaconus vocatus.

IN AUDITORIO MAIORI,

*Ad diem XX. Martii A.C. cIb Ibc XCVI.*



WITTENBERGÆ, Literis GÖDERITSCHIANIS.

DISPUTATIO  
PASSIONIS  
CHRISTIANAE

DIOPHANTUS  
ARITHMETICA

ALPHABETUM  
MAGNIFICENTIA


ALPHABETUM  
MAGNIFICENTIA





I. N. J.

## PROOEMIUM.

 Uti minimum se aliquando profitebatur, *1. Cor. XV, 9. Eph. III, 8.* idem revera maximus Apostolorum erat *2. Cor. XI, 23.* nulla enim re inferior summis; sed profanâ *Act. XVII, 28. Tit. I, 12. 1. Cor. XV, 33.* & divinâ, eâque singulari sedulitate comparatâ *Act. XXII, 3.* & per sublimes adaucta revelationes *Gal. I, 12.* illorumque calculo, qui existimabantur columnæ, *Gal. II, 9. 2. Pet. III, 15.* comprobata, eruditione clarissimus: Summam sapientiam *in notitia Christi crucifixi* collocabat *1. Cor. II, 2.* crucemque Christi ignominiosissimam *1. Cor. I, 3. unicam suam gloriam* ducebat *1. Cor. I, 31.* Nec immeritò. Non solùm enim insigne hoc mysteriũ humanas, sed & Angelicas mentes in summam rapit admirationem. Et licet præconium de Christo crucifixo Judæis offendiculo fuerit, Græcis autem Stultitia videretur; illi tamen, qui ordini divino subscribebant, Dei potentiam & Sapientiam esse deprehendebant. *1. Cor. I, 23, 24.* Placuit namque Numini Sapientissimo per stultitiam prædicationis (prout stolidis visa fuit judiciis) salutem æternam conferre credentibus *1. Cor. I, 21.* Quamobrem, cùm stupendi illi duo Prophetæ *Moses & Elias,* Ecclesiæ, quæ in cœlis triumphat, cives, in monte sancto *2. Petr. I, 18.* in fulgore apparentes, de Christi passione ac Cruce, Hierosolymis subeunda, argumentum colloquendi sibi elegerint, *Luc. IX, 30, 31.* quantò magis nos, sub cruento Christi vexillo militantes, decebit, omni, in-  
A pri-

primis verò præsentis passionis tempore, cum sanctissimâ matre Ecclesia, meditationes, de cruce amarâ, passioneque atrocissimâ, simulac nobis omnibus salutifera, continuas suscipere, Scientiamque Christi crucifixi unicam & summam nostram sapientiam cum Paulo existimare. Hic enim omni jure locum obtinet illud pii Poëtæ:

*Si Christum bene scis satis est, si cetera nescis:*

*Si Christum nescis, nihil est, si cetera d' scis.*

Quicquid enim mens & voluntas veri Christiani appetit, in i' o reperitur: quod si Thesauros, Sapientiam, Scientiam, desideres, hæc omnia in ipso, tanquam fonte, & largitore omnis boni *Iac. I, 17.* latitant *Coloss. II, 3.* si Consilium postulas, est Consiliarius, *Es. IX, 6.* si medicinam, ad sanandum tam corpus quam animam, Medicus tuus est *Exodi XV, 26.* si amorem, Amor *1. Job. III, 16.* si gloriam, Gloria *1. Cor. I, 31.* Si requiem, requies animæ est *Matth. XI, 29.* si solatium, Consolator, *2. Cor. I, 5.* unicumque omnium hominum refugium, *Actor. IV, 12.* In nullo quippe extra Christum salus hominibus contingit: si Vitam desideres, Vita: si Viam, ipse Via est ducens ad Vitam æternam *Job. XIV, 6.* Amor itaque meus est crucifixus, crucifixus est mea gloria, crucifixus est unicum in vita & morte solatium.

De quo tantopere gloriabatur Paulus, eandem cum ipso gloriam communem habet Divus Petrus, adeo, ut auro & argento pretiosorem ducat cruentam Christi mortem atque passionem. Ut vel inde Harmonia Apostolica de salute nostra, unius Christi merito innixa, constare possit. De hac igitur *Passione Christi cruenta Vicaria*, tempore hoc, tormentis & doloribus Christi sacro, non nihil meditari, apud animum meum proposui. Tu verò, Sospitator dulcissime, qui propter nos salutemque nostram, exquisitissimos sustinuisti cruciatûs, ignominiosissimumque mortis subiisti genus, concede supplicii *σὺ μὲν καὶ σοφίαν*, ut mens mea devotione pia tuam perpendat passionem, osque religiosissimas tibi laudes sine fine tribuat.

Oracu-



Oraculum Petrinum.

Epist. I. Cap. I. Vers. 18, 19.

Textus Græcus:

Εἰδότες ὅτι ἐ Φθαρτοῖς, ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ ἐλυ-  
τράθητε ἐκ τῆς ματαίας ὑμῶν ἀνασροφῆς πατρι-  
παραδότῃ.

Ἀλλὰ τιμίῳ ἀματι ὡς ἀμνῶν, ἀμώμῃ καὶ ἀσπί-  
λῃ χριστῷ.

Verfio Latina:

Cum sciatis, vos non caducis rebus, velut argentō  
& aurō fuisse redemptos, a Vana vestra Conversa-  
tione, quam ex patrum acceperatis traditione. Sed  
pretiosō sanguine, velut agni immaculati & inconta-  
minati Christi.

Ut autem eò felicius in proposito progrediamur Themate, li-  
mites quosdam, intra quos noster decurrere debet labor, consti-  
tuere iuvabit. Partiemur itaque operam, atque Sectione Prima,  
Singula examinabimus verba, quò sensum genuinum eò lucidius  
cujusvis conspiciendum præbeamus oculis. Sectio Secunda  
partitionem Logico-Theologicam exhibebit. Denique Tertia,  
Porismata quædam præctica ex Textu eliciet. Sit itaque

## SECTIO PRIMA

# GRAMMATICO-EXEGETICA.

### §. I.

**I**N antecessum verò, & quasi in transcurso, Oraculi Petri-  
ni Scopum atque occasionem paucis tangemus. Petrus Apo-  
stolus, cribrò Satanæ periculosè cribratus *Luc. XXII, 31.* damnò  
iuvò edoctus, sedulò monet fideles, ne in casses infernalis  
Venatoris incidant. Hinc ex eodem fonte frequenter,  
eosdem, ut sobrii sint & vigilent, vitæque sanctæ studeant,  
seriò

seriò exhortatur. Genium quippè suum hic juratus hominum hostis non mutavit, sed & hodiè oberrans, rugientis instar leonis, quærit quos hiantibus suis deglutiatur faucibus. *1. Pet. V, 8.* Et licet clypeo fidei, gladioq; verbi *Eph. VI, 16, 17.* forti huic armato acriter resisti possit; in id tamen omni incumbendum esse conatu, ne tenebrarum operibus dediti, huic, sempiternæ caliginis incolæ, hospitium parent exoptatum *Luc. XI, 25.* Ut autem admonitioni pondus addat gravissimum, in medium profert argumentum, à cruento Christi, nostri loco exantlato, sanguine desumptum. Terminis technicè dispositis tale erit:

Quicumque pretiosissimò, omnibusque mundi Thesauris longè præferendo, scil. ipsius Christi, in unitate personæ veri Dei & hominis, adeoque sanguine divinò, ex vanâ Conversatione, à Patribus traditâ, sunt redempti, illis utique vitæ sanctitati est studendum: Atque Fideles sunt tales. E.

*Major* fundatur in comparatione. Vix enim tam extremè ingratum deprehendere licebit, qui aurò vel argento Evergetæ alicujus, ex perpetuâ captivitate, unde nulla emergendi via, nullaque liberandi spes erat relicta, liberatus, omnia sua studia non ad nutum ejus componeret; jam verò aurum atque argentum, si vel cum nudi hominis sanguine comparetur, in nullum veniunt censum, nullamque comparationem. Obsecro igitur, quæ studia, sanctaque officia deceant illos, qui sanguine agni inculpati & immaculati, imò verè divino *Actorum XX, 28.* à peccatorum sordibus sunt mundati *1. Job. I, 7.* Num colludendum cum infensissimo liberatoris hoste? Num stola, sanguine agni immaculati lota & perpurgata *Apoc. VII, 14.* teterrimo peccatorum cœnò est polluenda? Absit! *Minorem* confirmant omnia loca, de Christi innocentia testantia, *Hebr. VII, 26. 1. Pet. II, 22.* adeoque non sui, sed nostri gratiâ, sanguinem suum effudisse evidenter monstrantia *Es. XLIII, 24, 25. 5. Matth. XX, 28.* Cum absque sanguinis effusione non contingat peccatorum remissio. *Ebr. IX, 22.*

§. II. Grammaticam Theologiæ famulari, vel me tacente, res ipsa loquitur. Ex verborum namque & structuræ Orationis per-

perceptione via paratur ad ipsam sententiam percipiendam, rerumque momenta perspicue cognoscenda: hoc itaque in praesens fungemur officio.

§ III. *Εἰδότες*. Participium verbi *εἰδέω*, quod non solum cum *εἶδω*, sed & cum Ebraeo *ראה* qua elementa & significationem arctam habet affinitatem; hinc tam ad *sensum* oculorum, quam ad ipsum refertur *intellectum*: ita quidem, ut non tantum idem sit quod videre, oculis usurpare; sed & scire, intelligere, animadvertere, atque probe considerare. Unde & apud Latinos Scriptores videre & intelligere, perspicere, & mente penetrare, frequenter permutantur. Hoc proinde Petrus dicit: Non adeo hospites estis, dilecti, sed probe nostis, Christum ab omnibus peccatis immunem, sanguinem proprium pro nobis effudisse, eoque libertatem pristinam nobis recuperasse; pia itaque mente incomparabile hoc beneficium considerantes, tanto Evergetæ, cum aliter non liceat, vel pia vita, sanctaque conversatione, gratum vestrum animum contestemini.

§. IV. *ἐπὶ φθαρτοῖς ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ* quod: non corruptibilibus sc. rebus, argentō & aurō, & ut sequitur, liberati estis. *φθαρτός* à *φθείρω*, quod idem est ac *corrumpo* atque *perdo*, deductum, juxta Philosophorum mentem illud est, quod ab esse, ad non esse tendere atque mutari potest: idque vel per intrinsecam constitutionem, vel per principium extrinsecum, quod, sicut omnia quæ sunt, ex non existentibus vocavit *Rom. IV, 17*. ita vicissim illa quæ sunt, eadem virtute, ad non esse redigere potest. Argentum itaque, præsertim verò aurum, licet metalla sint constantissima, habent tamen intrase principia, per quæ tendunt ad corruptionem. Tempus enim, quod edax rerum dicitur, ne duris marmoribus, neque his parcit metallis, utpote quæ ærugine, temporis tractu, vitiantur *Jac. V, 3. Matth. VI, 19*.

§. V. *ἐλυτρώθητε*, redempti estis: quod mediante *λυτρόμα* contractè *λυτρώμα* *Luc. XXIV, 21*. redimo vel redimor, à *λύω* solvo, descendit. Hinc *λύτρον* pretium, quod pro redimendo captivo penditur, cui respondet *ἀπὸ λύτρον* *I. Tim. II, 6*. cum connotatione, quod vice, vel loco alterius sit depositum pretium. Hinc *λύτρωσις* redemptio *Luc. I, 68*. & *λυτρωτής* redemptor, *Act. VII, 35*. sunt conjugata.

Ingens Charitatis documentum omni tempore habitum est, illos, qui, præsertim per conflictum, in hostium pervenerunt potestatem, argentò vel aurò redimere, atque pristinae libertati restituere. Unde notam sibi contraxit indelebilem *Mauritius Cappadox*, duodecim millia militum Captivorum, à *Cagano* Rege, exiguâ pecuniâ redimere negligendo, quem postea *Phocas*, Imperator proclamatus, unâ cum uxore liberisque trucidavit, Buno ad A.C. 586.

§. VI. ἐν τῇ ματαίᾳ ὑμῶν αἰαίσθησιν. Ex vana illa vestra conversatione. Carcerem atque servitutum, à quibus liberati sumus, expressè Apostolus denominat, scil. quod sit vana & inanis Conversatio. *Vers. 14.* appellaverat ignorantiam, quæ scil. ad viam justitiæ ne minimum faceret, sed potius eidem adversaretur. πατρὸς παραδότις, quæ scil. à Patribus esset tradita, vel quam ex Patrum traditione accepistis. Hanc enim vanam Conversationem inquit Petrus, per mala exempla à majoribus esse haustam, & per imitationem expressam. Non tamen imitatio totum absolvit negotium, sed accedit corrupta generatio, per quam tota depravatio propagatur *Pf. LI, 7, Rom. V, 12.* ex qua, tanquam fonte venenato, peccata promanant actualia, *Iac. I, 15.* Mens itaque Petri est: Nos à peccato originali, aliisque ex hoc promanantibus, item à majoribus in nos derivatis, & ex imitatione patrum propagatis, non aliter, quàm pretioso Christi sanguine liberari potuisse. Hinc facile à quovis conspicitur gravissimum servitutis jugum, quod perpetuò omnibus erat ferendum: à quò non aliter, quàm per sanguinem agni immaculati solvi poterant.

§. VII. ἀλλὰ πρὶς ἀγαπῆ. Remotis, commate præcedente, rebus caducis, jam per adversativam particulam ἀλλὰ pretium, quod coram Deo valorem obtinet, ponitur; sed pretiosò sanguine, nos sc. esse redemptos. Et quidem τίμιον interdum idem est quod honorabilis, *Act. V, 34. Ebr. XIII, 4.* frequenter pretiosum significat *1. Cor. III, 12.* nonnunquam Charum notat *Act. XX, 24.* Omnia hæc elogia sanguini, per quem sumus sanctificati, conveniunt. Est enim reverenter habendus, non profanandus *Ebr. X, 29.* Est tanti pretii, ut in iudicio Dei valorem obtineat *1. Iob. I, 7.* Cùm sit filii Dei, atque ipsius Dei sanguis *Act. XX, 28.* Hinc etiam est Carissimus, Carissimæ instar margaritæ illius magni pretii  
*Matth.*

*Matth. XIII, 46.* cui nec in cœlo, nec in terra aliquid comparari possit, habendus.

§. VIII. *ἀῖμα* verò non tantùm pro *sanguine* usurpatur *Luc. XIII, 1.* sed *cedem* quoque notat *Matth. XXVII, 24.* pro *reatu* item ac *pœna* cœdis accipitur *Matth. cit. v, 25.* imò alia plura admittit significata, quorum Flacius XI produxit classes, *Clave Scr. lit. S.* Ravannellus adhuc est copiosior, *Bibliotheca S. lit. S.* Illa tamen acceptio in primis non est prætermittenda, quando sanguis idem est, quod *mors violenta Ebr. XII, 4. Gen. XXXVII, 26.* Prima significatio hic potissimùm obtinet, ut cum ex latere Christi, lanceâ aperto, sanguis & aqua profluxisse dicuntur, *Job. XIX, 34.* *αἷς ἀῖμα*. Particula *αῖς* non tantum est *similitudinis* nota *Matth. VI, 10.* sed etiam *certitudinis* atque *veritatis* *Iob. I, 14.* præterea etiam *causalitatis*, exprimenda per *utpote*: quæ significatio h. l. conveniens videtur. Potest aliàs in ratione similitudinis explicari, quoad Typicos agnos, cum Christus conferatur cum agnis olim oblatis, inter quos tamen eminent agnus paschalis. Cautum verò lege erat, ne macula quædam reperiretur in agnis sacrificandis, ad Christi sanctitatem & innocentiam præfigurandam. Sed etiam *causalitatis* significatio locum hic habet, utpote qui est agnus immaculatus, adeoque & *Veritatis*, cum revera sit agnus ille Dei, non tantum Typicis contradistinctus agnis, docente articulo, sed etiam præstantissimus atque excellentissimus agnus. Quod si enim, cum potioribus Philologis, Ebraismi in N. T. sunt admittendi, haud difficile erit probatu, nomen Dei h. l. superlativum notare. Ita Cedrus Dei, idem est quod altissima, ignis Dei, maximus: Civitas Dei, amplissima, idiotismo Ebræo dicenda, docente *Hilgero Summar. Ling. Sanct. aucto n. 4. p. 54.* Non dissentiente *B. Quenstedio*, qui locum illum controversum *Gen. VI, 2. Filii Dei, filias hominum in uxores ducebant*, ex hoc fundamento explicat, de præstantissimis atque magnatum filiis, *System. Theol. P. I. p. 379, 465. & 511.* Hi enim pro lubitu pulchriores de plebe puellas rapuerunt sibi que in uxores, invitis sæpe parentibus, adjunxerunt. Ex hac commixtione Magnatum, cum obscurioris generis hominibus, nati dicuntur Tyranni, quos haut incommodè hybridas dixeris. Non adeò dissimilis erat ille, Matre Israelicâ & Patre Ægyptio profatus, qui

B

tre-



tremendum nomen divinum proterv9 blasphemabat *Lev. XXIV, 10, 11.*

§. X. *Αμώμης καὶ ἀσπίλης χεῖρας*. Quæ verba nostrum claudunt oraculum. Et quidem nomen *ἀμώμης* licet à Græco *μωμῶν* culpæ, deductum videatur, meliori tamen jure Ebræo *מָוּם* macula originem debet, ac ex prima impositione defectûs corporis notat *Lev. XXI, 17. seq. Cap. XX, 20.* Deinde & ad animi vitia exprimenda est translatum, *Cant. IV, 7. Prov. IX, 7.* Hinc, Græcorum terminatione, *μῶμης* descendit. Usurpatur autem non de re tantum, & est idem quod dedecus ac probrum; sed etiam de Persona. Gentilibus quippe Momus credebatur Deus, Noctæ, Matre, ac Somno Patre progenitus. Huic morem fuisse nihil quidem operis edere, sed aliorum Deorum opera perspicacissimis usurpare oculis, & si quid vel omissum, vel perperam factum, intrepidè summâ cum libertate carpere, *Lucianus in Dialogo de Hæresibus.* Hesiodo Deus reprehensor dictus, in *Theogonia.* Qui in hominis opificio illud potissimum notavit, Artificem immemorem fuisse fenestrarum, ostiolorum loco, in pectore locandarum, unde cordis latentia paterent, *Lucianus in Hermetimo.* Hinc proverbialis loquendi modus: *Nec Momo iudice carpendum.* Appellativè tamen, quilibet Cavillator hoc nomine signatur. Additò proindè a privativo, propriè *ἀμώμης* ille est, qui vitio caret, quod reprehensionem incurreret, ita ut ne Momus quidem deprehendat, quod carpere in eo possit. Salvator proindè noster est agnus ille immaculatus, qui seipsum *ἀμώμον*, & extra omnem culpam Deo obtulit. Non quidem defuerunt ex ordine Phariseorum Momi, qui varia innocentî Christo affingere nitebantur crimina: mox enim hominem edacem, mox vini potatorem, publicanorum & peccatorum amicum vocabant *Matth. XI, 19.* Imò impuro ore Samaritanum & Dæmoniacum appellabant, *Job. VIII, 48.* Verùm nemo eorum vel minimi eum convincere potuit peccati, *ibidem v. 46.* *Talis quippe decebat, ut esset nobis Pontifex, Sanctus, ab omni malo remotus, sine labe, separatus à Peccatoribus Ebr. VII, 26.*

§. XI. In ordine jam evolvendum alterum epitheton, nempe *ἀσπίλης*. Simplex hujus, scilicet *σπίλης*, maculam atque labem notat. Hinc in compositione *ἀσπίλης* erit *immaculatus, macula & labis expers, Jac. I, 27. 2. Pet. III, 14.* Discrimen tamen inter hæc cogn-

gnata vocabula tale videtur intercedere, quod nimirum ἀσπιλον  
 fit etiam ἀμωμον; sed non vicissim ἀμωμον fit protinus ἀσπι-  
 λον. Potest aliquis agnus esse ἀμωμον, carens vitio corporis,  
 qui tamen non sit ἀσπιλον, si scilicet habeat aliquas maculas. Ver-  
 ba sunt *B. Gerhardi Comment. in h. l. p. 116.* Verum B. Vir, verbis  
 immediatè sequentibus, ex indole lingvæ Ebrææ, viam explica-  
 tioni magis perspicuæ pandit. Sic enim infert: Ut ergò purissi-  
 ma & absolutissima Christi innocentia, mundities & sanctitas, in  
 agnis sacrificialibus V. T. præfigurata, magis expr. matur, ideò A-  
 postolus eum vocat ἀμωμον καὶ ἀσπιλον. Fundamentum hoc est,  
 scilicet cum Ebræi non tantum Comparativo & Superlativo, pro-  
 priè & formaliter careant, ideoque per varias circumscriptiones  
 hos exprimunt gradus. In specie autem Superlativus, inter alia,  
 per repetitionem substantivi, sive in se, sive in Synonymo, commo-  
 dè explicatur. Exemplum suppeditant quæ, sub initium codicis  
 sacri leguntur verba וְהָאָרֶץ הָיְתָה תוֹהוּ וְבוֹהוּ *Gen. I, 2.* Optimè au-  
 tem ita redduntur: & terra erat vastissima sive inanissima, id est,  
 nihil prorsus in illa reperiebatur, ante vivificam illam Sp. S. incuba-  
 tionem. Ad hunc ergo modum Divus Petrus, summam illam  
 innocentiam atque sanctitatem agni, loco nostri victimalis, per  
 hæc substantiva ἰσοδουχισμῶν, devotâ consideratione animis no-  
 stris subjicere voluit.

§. XII. χρῆσις denique, quod dignitate ac naturâ primum, in textu  
 nostro ultimo loco occurrit vocabulum. Originem si specte-  
 mus, communiter quemvis notat unctum; Speciali autem sensu,  
 & κατ' ἐξοχήν Cognomen est nostri Sosпитatoris. Ebræis חֵטֶב  
 unctus. Est enim unctus oleo lætitiæ præ consortibus suis *Pf. XLV, 8.*  
*Iob. III, 34.* Ubi ungens est Divinitas, uncta humanitas, unctio-  
 nis oleum Sp. S. *Act. X, 38.* Hinc Christi professio, totius Trinitatis est  
 Confessio. *Basil. M. de Sp. S. allegante B. Scherz. Syst. Theol. L. VIII. pag.*  
*175.* Præfiguratus in V. T. per Prophetas, Sacerdotes & Reges.  
 Hinc unctus in *Prophetam Deut. XVIII, 15, 19. Sacerdotem Pf. CX, 4. 5*  
*Regem Pf. II, 6. Jer. XXIII, 5.* Nomen Messie non tantum populo  
 Dei, ex prædictione Prophetarum, notissimum *Pf. II, 2. Dan. IX, 24,*  
*25.* sed ne ipsi Samaritanis fuit ignotum, *Job. IV, 25.* Est deni-

que nomen divinæ & humanæ naturæ connotativum. Christus enim, qui quoad carnem ex patribus descendit, est etiam Deus super omnia benedictus *Rom. IX, 5. 1. Iob. V, 20.* Et hæc quidem quoad investigationem sensûs Oraculi nostri literalem, ex genuina vocum significatione sufficient.

## SECTIO SECUNDA. LOGICO-THEOLOGICA.

### §. I.

**A**Nte omnia passionis Christi *existentia* est comprobanda, & quidem ex præsentis Petrino oraculo. Quemadmodum autem de tota Scriptura S. dicitur, quod quædam in ea continentur *κατὰ τὸ ἐν τὸν* & secundum *expressam literam*; quædam verò *κατὰ τὴν δὲ λόγον* & quoad *bonam & pronam consequentiam*; idem de nostro dicendum est axiomatico Apostolico. Non conspicitur in illo vox *passionis*, nec quoad *abstractum*, nec quod *Concretum*, vel *conjugata alia*; habetur tamen quoad *rem & immotam Consequentiam*. Dicimur enim sanguine agni immaculati redempti. Jam verò sanguinis effusio non fit sine dolore & passione. Accedit, quod sanguis non rarò pro morte violenta sumatur *I. Reg. II, 9. Ebr. XII, 4.* ac in specie sanguis Christi, pro passione ipsius ponitur, ideoque æquipollere dicuntur isti in Scriptura S. loquendi modi: passione Christi redimi ac salvari, & sanguine Christi nos liberari, mundari ac justificari *1. Iob. I, 7. Apoc. I, 5.* Expressè tamen frequenter Petrus dicit Christum passum *1. Pet. II, 21, Cap. III, 18.* Et formam abstractam adhibet Paulus, Jesum *διὰ τὸ πένθημα τῆς ἰσθμίας* gloriâ & honore coronatum, pronunciando *Ebr. II, 9, 10.*

§. II. Non autem semper eodem modo *passio Christi* in Sacris usurpatur literis. Alia enim dicitur esse *mystica* sive *corporis mystici*, quod est Ecclesia. Hujus namque passionis, & suas vocat, sibi que easdem appropriat. Inde Paulus sæviendo adversus Ecclesiam, ipsum persequi dicitur Christum, *Act. IX, 4.* seque Paulus gaudere de iis, quæ pro Colossensibus patiebatur, & reliquias affli-



afflictionum Christi se vicissim explere in carne sua, pro corpore ipsius, quod est Ecclesia, testatur *Coloss. I, 24*. Qui proinde pios tangit, pupillam oculi divini tangere perhibetur *Zach. II, 8*. Deinde alia passio Christi est *realis*, quam in proprio sustinuit corpore, qualem etiam in nostro Oraculo innuit Petrus. Et hæc vel per totam ejus vitam se diffundit, continuatasque continet molestias; vel in summo spectatur gradu, & sub finem vitæ, sub Pontio Pilato contigit, cum plenaria sanguinis effusione. Non enim & hic excludendæ præcedentes ejus afflictiones, & sanguis in circumcissione effusus. Tota quippe vita Christi est passio perpetua, ad *ἀμὴν* sub finem vitæ reducenda, & ita conglomeranda. Sed nec passio separanda ab obedientia legali activa, cum hæc in ipsa passione vel maximè eluxerit, nec passio satisfactoria esse posset, nisi obedientia complementum adderet. Denique passio Christi accipitur, vel *precise*, ut est affectio humanitatis, vel *complete* cum fine salutari, atque sic ut *ἀπέλευσμα* consideratur.

§. III. Causa efficiens igitur passionis, quatenus illa salutaris est, in Oraculo nostro Christus esse dicitur. Et quidem sumendo hanc vocem complexè, prout & ungentem Deitatem, & unctam notat humanitatem, ob quam proinde unctionem Deitas non est neganda, cum Christus unctus, sit etiam Deus super omnia benedictus in secula *Rom. IX, 5*. Porro Christus sanguine nos redimens, qui Subjectum, & passionis salutaris Causa efficiens proponitur, complectitur has subsequentes propositiones. I. *Humana natura fudit sanguinem*: quæ prædicatio est naturalis, omnique homini in hoc seculo convenit, ideoque ita nude hic non est spectanda. II. *Hæc humana natura verè fudit sanguinem*: quæ prædicatio singularis quidem est, & humanæ naturæ ex sese convenit, opponitur autem Hæreticis, qui *ἀφάρτοις* & *ἀπαθείς* dicebantur, qui humanam naturam passioni obnoxiam fuisse negabant. III. *Christus secundum humanam naturam habet & fudit sanguinem*: quæ est prædicatio personalis, & opponitur Valentiniæ, Manichæis, Marcionitis, humanæ Christi naturæ veritatem negantibus. IV. *Christus est passus & sanguinem effudit* *σικὴ* secundum humanam naturam *I. Pet. IV. 1*. Quæ prædicatio est primi Generis, vindicans naturæ humanæ proprietatem ei convenien-

venientem, contra confusionem Eutychianam. Unde non datur determinatio ad divinam naturam, vel abstractum divinæ naturæ, ut dicendum minimè sit, Christus secundum Deitatem est passus, vel Deitas est passa; rectè interim dicitur: Deus fudit sanguinem *Act. XX, 28*. Quæ prædicatio est primi Generis Communicationis idiomatum, & monstrat alteram naturam, à qua, hîc denominatio fit, à subjecto non esse excludendam, quando alterius naturæ proprietates personæ tribuitur. Estque opposita Nestorianis, qui de solâ humana exponunt naturâ. In primo namque Genere exclusio v. gr. sola humana natura est passa, non habet locum. Deus siquidem ut personaliter habet, ita & fundit sanguinem. VI. *Sanguis Christi est incorruptibilis, pretiosus, redemptorius I. Job. I, 7*. Quæ prædicatio est Generis Majestatici: redimere enim & salvare est divinæ virtutis, & Christo secundum divinitatem essentialiter convenit, eidem verò hîc secundum humanitatem, quæ per sanguinem denotatur, tribuitur, cui sc. communicata est hæc divina virtus, ut opus, quod infinitæ est potentia, producere potuerit. VII. Tandem: *Christus secundum utramq; naturam redemit nos, ex vana conversatione, per sanguinem redemptorium*. Quæ prædicatio potissimum hîc spectatur, contra *Stancarum & Jesuitas*. Estque officii Christi Sacerdotalis, quoad acquisitionem, cui, propter applicationem, hîc indigitam, Regium & Propheticum est connexum. Atque hæc ultima propositio causam efficientem monstrat, quæ est totus *Ἰεσὺς*, qui circa hanc cruentam occupatur passionem. Humanitas ex suâ natura passioni est obnoxia & sanguine gaudet, hunc divinitas in persona sibi appropriat & pretiosum reddit: Persona illum exhibet & effundit, ac in effusione utraque natura agit, quod suum est, cum alterius cooperatione, ad conficiendam peccatorum remissionem.

§. IV. *Materia circa quam* passionis, sunt dolores, quos Christus per totam vitam, cum primis mortis tempore sustinuit. Ubi occurrit I. *agens*, per quod sanguis agni innocentis est effusus, estque geminum, quod ex diversis prorsus agit principiis. *Unum* ex principiis *Justitiæ*; alterum, *malitiæ & iniquitatis*. Proximum agens ex injustitia est *tum Diabolus*, qui agit ex odio erga semen  
mu-

mi hieris ; *tum homo' omnis* , "ex propria malitia à Diabolo se-  
ductus, remotè quidem ; immediatè verò Satanæ administri,  
tunc à Diabolo ad maleficium hoc perpetrandum incitati, ut  
Judas, Pilatus, Herodes, Sacerdotes, Milites, populus. *Primari-*  
*um* verò agens *Deus est*, qui ex justitia agit, & dirigit alienam ma-  
litiã ad suum finem, quem vel immediatè, vel etiam mediatè  
justè producere potuisset ; At quia spontè agentia mala  
invenit, per quæ, præter ipsorum intentionem, finem su-  
um consequi potest, eadem non impedit : non tamen vel illis  
concessurus, vel eadem id contra ejus permissionem effectura  
fuisset, nisi bonum hunc finem prævidisset. Sic itaque præco-  
gnitus hic agnus, mundi tollens peccata, sistitur rigido Dei ju-  
dicio, ut oneratus alienis peccatis, quorum pœna justè à DEO  
exigitur, qui eum ita voluit conteri, quo offensæ ejus satisfacere-  
ret justitiæ. *Es. LIII. 10.*

§. V. *Subiectum patiens* Christus est, cujus *primò corpus* hic co-  
derandum, ex quo sanguis effusus. Pertinet ergò huc flagel-  
tio, coronatio, aliique actûs cruenti, adeoque tota passio, à qua  
tuor bona fide Evangelistis descripta. *Deinde anima*, *tum* per  
participationem cum corpore, *tum* extrinsecus, ratione contem-  
tus & approbiorum, *tum* intrinsecus, ratione tentationis Diabo-  
licæ, sensûs iræ divinæ, desertionis atque derelictionis à DEO  
ineffabilis.

§. VI. *Modus agendi*, qui alius est ex parte *hominum*, isque  
varius, à Judæis, Gentilibus, Discipulis, extrinsecus: ab omnibus  
hominibus intrinsecus, proficiscens. Potentialiter enim omnis  
omnium hominum malitia Christum impetebat, non tantum  
*presentium*, sed & *præteritorum* & *futurorum*. Nec enim impij  
Christum denuo crucifigere dici possent *Ebr. VI, 6.* si non ali-  
quâ ratione & ipsi in ipsa crucifixione egissent. Ex parte *Satanæ*  
etiam alius fuit, dum universa potentia infernalis ipsum inva-  
sit, omnesque portæ inferorum densata in ipsum torquebant spi-  
cula, quibus omnibus ipsum opprimere conabantur. Alius tan-  
dem ex parte *Dei agentis*, qui secundum supremum rigorem furoris  
& iræ, ex infinita justitia suborientis, procedebat.

§. VII. *Modus patiendi*, patienter & innocenter, ut agnus  
*Es.*

*Es. LIII, 7. 1. Pet. II, 22, 23. voluntariè Ps. XL. 9. sufficienter & effici-  
enter Rom. VIII, 1. ut Christus, ad hoc passionis officium unctus,  
Ps. XLV, 8.*

§. VIII. *Passionis Consequens* diversum hic notandum. Quoad homines enim quosdam præsentis, ex malitia gravior obstinatio, quippe atrocissimâ Salvatoris morte, ab ipsis spectata, incorrigibiles facti sunt & permanserunt, hinc secuta est gravior condemnatio, & in specie Judæorum devastatio, qui per imprecationem, sanguinem hunc in malum sibi attraxerunt. Quoad alios vicissim, ut Centurionem, sub cruce stantem, conversio. *Luc. XXIII, 47, 48.* In specie, quoad *materiam circa quam, sanguinis* subiinde in passione, ita & hic fit mentio, quippe qui ultimus passionis gradus *Heb. XII, 4.* & inter varia mortis genera sanguinis supplicium censetur gravissimum. Qui ipse ostendit 1. *passionis Veritatem*, quod non *κατὰ δόξαν* Christus eam sustinuerit. 2. *Gravitatem*, quod usque ad mortem se extenderit. 3. *Durationem*, quod ipsa quamdiu sanguinis effusio, duraverit, & in morte consummata sit, nec subsequuta fuerit nova, per triumphalem ad inferos descensum, passio. Cumque sanguis immaculati agni dicatur, hinc 4. *passionis & patientis innocentia & sanctitas* patet. 5. *Dignitas*, unde pretiosus appellatur, cum quia innocens sanguis, tum pretium infinitum est, quia divinus. 6. *Incorruptibilitas*, unde ipsi auro & argento, quorum illud inter terrena maximè in corruptibile, censetur, opponitur, quod contra *reliquiarum Custodes*, sanguinem illum separatum monstrantes, probè est notandum.

§. IX. *Forma* est victimalis atque vicaria pro peccatis alienis pœnarum permissio, atque pretii debiti solutio. Per sanguinem enim *λύτρον* solutum est, cuius pretii solutio non vulgaris fuit, prout negativè Apostolus aurum & argentum, communissimum solutionis pretium, removet; sed est talis, qualis per sanguinem agni fieri solet, ad liberationem à peccatis *Ebr. IX, 22.* Sicuti ergo per sanguinem agnorum V. T. fiebat solutio à peccatis ratione impuritatis Leviticæ (non tantum, sed etiam quoad credentes, ratione impuritatis internæ, per antitypum) ita & talis solutio pretii per sanguinem Christi, ejusque passionem facta, ad solutionem, veram pro peccatis, illorumque debitis. Habemus enim

enim 1. *redimendos*, homines peccatores, vanis operibus deditos, & inde à primo parente sub peccato venundatos. 2. *Causam*, ob quam solvendum pretium, vana, inquam, conversatio, h. e. peccata, quæ ipsa iram iudicis important: sunt namque debitum iudiciarium, atque si sine illa foret, sanguine haud opus esset. 3. *Is cui solvendum pretium*, ex versu præcedente 17. colligitur, Pater sine acceptione personarum iudicans, cui etiam soli, ut supremo & legitimo Domino, peccamus *Pf. Ll, 6.* 4. *Redemptionis pretium*, est *Τριμιον αμα*, ubi non solum pretium sanguini disertè assignatur, sed illud quoque in oppositione & collatione cum pretio auri & argenti exaggeratur. Habenda autem hic propriè ratio pretii, quandoquidem etiam cum verbo *λυτρον* aurum constructitur. Sanguis hic pretiosus in *λυτρον* oblatus victimalis est, hinc etiam sanguis agni dicitur. Sicut verò per agnum, asini primogenitus, alioquin suffocandus, redimebatur, ut agnus asini vice Deo offerretur, ita & agnus hic immaculatus pro peccatoribus, æternâ morte jugulandis, ceu vicarium pretium substituitur. 6. *λυτρον* itaque quod hic solvitur, est *pretium propriè sic dictum*, pro debito iudiciario, h. e. morte, ab alio promerita, ab agno vicariè sanguinem effundente, solutum, quod ipsa *λυτρον* vox captivi solutionem importans, ostendit. Atque hanc ratione passio Christi *actio officialis* est, Sacerdote nostro, per hanc cruentam passionem Deo satisfaciende peccataque nostra expiante.

§. X. *Finis* itaque vicariæ Christi passionis, est *redemptio à peccatis*. Dicimur enim liberati ex vana conversatione nostra, quam Petrus significanter *πατροπαράδοτον* appellat. Tradita verò est à patribus, non per *imitationem* duntaxat, sed etiam per *corruptam generationem*, vitiis autem actualibus eadem fuit cumulata. Porro à sublata *culpa*, ad *pœnas* etiam peccatorum propriè sic dictas, earundemque sublationem, immota est consequentia. Inter culpam quippe atque pœnam perpetuus intercedit nexus. Porro pretium hoc sanguinis ad omnes utique spectat, quos Apostolus alloquitur, & quos hic redemptos dicit. Jam verò redempti sunt non tantum illi, qui electorum veniunt nomine

C

mine

mine, æternamque actu consequuntur salutem: sed & illi qui sempiternæ adjudicantur ignominia. Veritatem hujus sententia Apostolus noster perspicuis tradit verbis, quando Pseudopphetas, falsosque Doctores, qui exitiales introducturi sunt hæreses, pronunciat, Dominum, qui illos est mercatus, abnegaturos, atque celerem perniciem sibi attracturos *2. Pet. II, 1.* Quod si ergo isti, qui propria culpa damnantur, à pretio redemptionis non excluduntur; quinam illi erunt, ad quos hoc ipsum non pertineret? Præterea non frustra utraque Epistola Petrina inscribitur *Catholica*, cum scilicet omnibus sit scripta, proponatur, etiam multis finaliter impœnitentibus, quorum finalis impœnitentia ad hanc vanam conversationem, cujus nostrum meminit oraculum, utique pertinet, atque sic etiam pro illa pretium est persolutum. Quamvis enim ista applicationem tollat, acquisitionem tamen pretii non negat, imò præsupponit, cum per *finalem* sit definienda *rejectionem*. Explicatu verò est difficile, illud quempiam aspernari atque rejicere, & hanc ob causam suppliciiis atrocibus esse subjiciendum, quod tamen ad ipsum, ex mente pœnam justè infligentis, nullâ ratione pertinebat. Nec denique salus per finalem impeditur impœnitentiam, quatenus illa peccatum est, sed prout non admittit ultimam passionis Christi applicationem.

Hæc dicta sunt quoad sectionem secundam, restat ut agamus de postrema. Sit itaque

## SECTIO TERTIA, PORISMATICO-PRACTICA.

Ex oraculo Petrino non pauca erui possent *Dogmatica* pariter ac *Elenctica*, nec non *Pædevtica*, *Epanorthotica* item & *Paracletica* Confectaria; nos tamen potiora, prout institutum fert, attingemus.

### ARTICULUS I.

*Exhibens Porismata Didactica.*

I. *Dogma*

## I.

**D**ogma de passione Christi Vicaria est *fundamentale*. Cum verò non idem gradus necessitatis inter doctrinas, quæ fundamentales dicuntur, detur; Tantæ necessitatis præsens pronunciamus dogma, ut salvo fidei fundamento non solùm in dubium minimè sit vocandum, sed ne quidem ignorandum. Veritas asserti ex oraculo constat Petrino. Sic enim noster Apostolus: *Εἰδότες, Scientes*: præsupponens apud omnes, qui à Christo nomen acceperunt, dogmatis de Christi cruenta passione certam notitiam. Sine hac quippe Scientiæ ne nomen augustum Christianorum, multò minus amplissima, illa, quæ illud comprehendit, privilegia, ipsis erunt tribuenda. Et licet rationi, sibi relicta, admodum inconueniens videatur, fidem in passum atque crucifixum collocare, juxta vulgatum illud Catonis:

In mortem alterius tu spem tibi ponere noli.

Nos tamen, per parodiam, verè atque optimo pronunciamus jure:

In mortem Christi, tu spem tibi ponere debes.

Consonat nostro Apostolo *Paulus*, tantam hujus dogmatis *necessitatē* innuens, ut in illius unica Scientia, tanquam ad salutem sufficientissima, prorsus acquiescat. Apud *Corinthios* namque non aliam decreverat profiteri Scientiam, quàm de Christo, illoque crucifixo *1. Cor. II, 2*. Et hinc quoque *dignitas* hujus Scientiæ fuit eminentissima, in qua suam unicam, gentium Apostolus, collocabat gloriationem *Gal. VI, 14*. Dignitatem excipit nunquam exhaurienda *utilitas*. Nostra quippe hinc innotescit *Redemptio*, ex qua nostra unicè dependet vita. Hæc est vita æterna, Cœlestis pronunciat veritas, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum *Joh. XVII, 3*.

II. Ex nostro deducitur Oraculo, Christum esse *verum æternum & naturâ Deum*. Nam opus verè divinum ipsi tribuitur, sc. *λύτρωσις* seu redemptio generis humani, ex vana Conversatione, à Patribus tradita. Quid per hanc intelligatur, *Sectione primâ* probatum dedimus. Paucis rem comprehendendo: Vanæ conversationis, à Patribus traditæ, nomine, veniunt omnia & singula peccata, qualicunque indigentur titulo, unâ cum annexo reatu,

sive pœnis temporalibus & æternis, illis debitis. Sublatâ namque culpâ, pœnæ non amplius residuus est locus. Hinc pro *Divinitate* Christi asserenda, tale nobis nascitur argumentum.

Quicumque nos redemit ab omnibus & singulis peccatis eorundemque reatu atque pœnis, sufficientissimum offensæ justitiæ divinæ infinitæ persolvendo pretium, ille est verus, naturâ, & æternus Deus. Atque Christus Dominus &c. Ergo.

*Major*: quia opus verè divinum, arguit verum atque æternum & naturâ Deum. Jam verò redemptionem perditæ gentis humanæ, ex vana illa conversatione, à Patribus traditâ, tale opus esse, quod nulli nudo homini tribui potuerit, inter alia documenta, apertè docet *Ps. XLIX. v. 8. & 9.* *Minor* clarissimis verbis in nostro proponitur oraculo. Cui, illustrioris cognitionis gratiâ, adjungi potest locus *1. Iob. 1, 7.* ut & *Zach. IX, 11.* Stat itaque inconcussa Conc.

III. Non solùm naturâ Deum; sed & in unitate Personæ verum hominem, animâ rationali atque corpore organico constantem, Christum esse, rursus ex nostro firmiter colligimus Oraculo. Et quidem ex proprietate humanâ, quæ est habere verum sanguinem. Licet verò hoc proprium non *quartis*, sed ex *Porphyrii* mente, sit *secundæ* modi, quod quidem omni humano individuo, non tamen soli competat speciei; cùm præter hominem & animantia rationis expertia sanguinem habeant; nihilominus tamen allata ratio, hic loci, in oppositione ad phantasma, vel Spiritum atque nudam Deitatem, stringit. Spiritus quippe sicut ossibus & carne, ita quoque verò caret sanguine *Luc. XXIV, 39.* Christus autem oculis visus, atque manibus fuit contrectatus *1. Iob. 1, 1.* Terminis itaque collectis tale, pro *vera Christi humanitate*, ex nostro textu fluit argumentum:

Cuicumque verus sanguis humanus, verè & realiter convenit, ille quoque verus est homo. Atqui Christo &c. Ergo.

*Major*: quia dato proprio, res quoque, cujus est proprium, non est neganda. *Minor* apertis in nostro proponitur oraculo verbis. Stat itaque quadrata Conclusio.

## ARTICULUS II.

### *Continens Consectaria Elenctica.*

Jam ex Petrino oraculo usus quoque *Elencticus* est deducendus. Non sufficit enim illi, qui nomen spirituali dedit militiæ,

tia,



tiæ, ut tenax sit fidei illius, secundum doctrinam sermonis, ut doctrinam sanam possit suæ fidei concreditos exhortari auditores; sed & *contradicientes convincat Tit. 1, 9.*

Traditæ itaque hætenus sanæ doctrinæ contradicunt:

**I. ROMANO CATHOLICI**, in loco de *natura salvificæ fidei*. Orthodoxi namque Theologi, ex sacris edocti literis, tres partes, sive gradus veræ constituunt fidei, scil. *Notitiam, Assensum & Fiduciam*. Quorum *ultimus* includit *priores*: *Medius* præsupponit *primum*. Ita quidem, ut qui fiduciâ est instructus, Assensu, & Notitiâ, minimè destituatur; nec tamen qui priores possidet, tertio quoque gaudet. Hic namque est instar animæ fidei, quæ justificans dicitur: illi verò non tantum in hypocritas, sed & Diabolum ipsum cadere possunt, *Iac. II, 19.* Ex his gradibus primum atque ultimum avellunt Pontificii. Et quidem Notitiam ideo, ut fidem suam, implicitam, à Carbonario, hanc in certamine, ut fertur cum Satana habito, profitente, *carbonariam* dictam, stabiliant; *Fiduciam* verò ut certitudinem gratiæ atque salutis prorsus eliminent. Fidem itaque per Assensum, dogmatibus Ecclesiæ Romano-Catholicæ exhibitum, describunt. Missâ, hæc vice, defensione Fiduciæ, quæ satis apud Orthodoxos vindicata reperitur Theologos; *Notitiam*, fidei salvificæ esse partem, Axioma Petrinum solidissimè evincit. Alloquitur enim fideles: *Ἐπίδοτε*, scientes, omni remoto dubio, notitiam firmam apud ipsos supponendo. Unde pro gradu fidei primo, sua sponte tale fuit Argum. Quicumque passionis Christi cruentæ Vicariæ optimam habebant notitiam, illorum fides non erat implicita, per ignorantiam definienda. Atqui fideles, quos Petrus alloquitur &c. Ergo:

*Major* luce sua radiat. *Minor* in Petrino habetur oraculo. Firmo itaque stat talo Conclusio.

Petro dextram porrigit *Paulus*, cui *ἐκ τῶν ἀδυνατῶν* est credere in illum, de quo nefando quispiam audivit. Interrogativæ enim illius orationis: Quomodo credent in illum, de quo non audiverunt? *Rom. X, 14.* sensum hunc esse: Fieri non posse, ut quis in illum fiduciam collocet, cujus nullam habet notitiam; Vix aliquis, nisi extremè obstinatus, negaverit. *Accedit* totus *Prophetarum Chorus*, quorum mentem Pater Baptistæ, *Zacharias* interpretatur, unum omnibus os tribuendo, atque fidem salvificam per

Scientiam salutis, quæ est in remissione peccatorum, definienda, *Luc. I, 70. & 77.* Quid multis? ipse *Pater cælestis* Messia clarissimum exhibet testimonium, quod per cognitionem sui justus ille Servus, sit multos justificaturus, *Es. LIII, 11.* Notitia itaque, non nisi per supinam ignorantiam, vel inexcusabilem malitiam, à fidei partibus divellitur.

*Dices I.* Fides implicita est credendi *compendium*, ut *facillimum*, ita *cutissimum*: Ergo in illa acquiescendum. Fidem enim suam, in id, quod Ecclesia credit, resolvere, liberat fideles tot fatigiis atque laboribus. Satanam etiam hoc compendio ita confusum fuisse, ut Carbonarium missum fecerit.

*Resp.* Dixerim verè hoc *compendium* esse *pernitiosum dispendium*, quod ad *Atheismum & interitum æternum*, bipatentem pandit portam. Est enim è diametro *Praxi Prophetarum, Christi & Apostolorum* contrarium, *Conf. Gen. XXVIII, 19. Deut. VI, 6, 7. Job. V, 39. Col. III, 16.* Hinc *Paulus* perstringit Ebræos, quod, pro temporis ratione, non melius profecerint in notitia Dei, *Ebr. V, 12.* Laudat verò idem Apostolus suum *Timotheum*, quod à puero Sacras didicerit literas. *2. Epist. III, 15.*

*Dices II.* Sic fides non erit una: quia duplex agnoscit Subjectum, nempe *intellectum*, quoad *Notitiam & assensum*; *Voluntatem*, quoad *fiduciam*. Jam quæ subjectis differunt, illa realiter esse distincta, sana ratio docet. Sic ergo una eademque fides à se ipsa realiter differt. *Resp. I.* Et imago divinaperficiebat; *intellectum & voluntatem*: erat tamen una. *2.* Alia ergo est ratio accidentium *aggregatorum*. *3.* Coniunguntur hæc partialia subjecta in anima. *4.* idem Calor est, qui in igne & ferro ignito reperitur. *5.* Taceo, non deesse Philosophos, qui *intellectum & voluntatem*, non *realiter*, sed *formaliter* tantum differre asserant, quorum licet non subscribam sententiæ, hinc tamen objectioni allatæ nervi inciduntur.

*Dices III.* Intellectus captivandus est sub obsequium fidei: E. Notitia non ingreditur fidei constitutionem. *Anteced. 2. Cor. X, 5. Conseq.* quia illa captivatio nudum & simplicem requirit assensum. *Resp. I. N. C.* Nec probatio ejus est valida. Nam *ἡ πίστις τῶν θεῶν*, teste textu citato, amicè cum captivatione illa intellectus, quando in mysteriis divinis multum sibi indulget, consistere potest.

2. Quan-

2. Quantum antecedens, & ejus probationem concernit: dicit Apostolus τὸ νόημα, i.e. cogitationem, quæ sese effert adversus Dei cognitionem, esse captivandam, non verò τὸν νῆν sive intellectum, cujus usus in mysteriis, revelatione supernaturali nobis communicatis, est organicus. Quod si nullus planè in mysteriis divinis mentis humanæ esset usus, frustra Apostolus tantoperè excitaret Timotheum: *Νόει ἀλέγω* perpende, intellige, quæ dico. Det igitur tibi Dominus intelligentiam in omnibus 2. Ep. II, 7.

II. SOCINIANI, in Articulo de Satisfactione Christi sufficientissimâ, interventu pretii propriè sic dicti, Vicaria, seu loco & vice perditæ generis humani, rigorosæ justitiæ divinæ præstita. Hanc Sociniani omnibus viribus evertere, licet irritò conatu, student. Quibus ex nostro oraculo, hoc invictum opponimus argumentum: Quicumque non rebus corruptibilibus, auro scil. & argento, sed pretioso suo sanguine, utpote agnus inculpatus & incontaminatus, genus humanum redemit, ex vana Conversatione, à Patribus tradita, illius passio est satisfactoria atque vicaria. Atqui Christus &c. E. Major procedit partim καὶ ἄρσιν, removendo pretium vulgare, quò alias captivi redimuntur: partim καὶ θεῶν ponendo sanguinem pretiosum, cujus pretium justitiæ divinæ ex æquo satisfecit. Vicarium verò esse hoc pretium patet, quia est agni, illiusque ἀμώμωσ καὶ ἀσπίλωσ; itaque non opus habebat ut pro seipso, sed pro reis illud deponeret. Conf. Es. XLIII 25. cap. LIII. 4. 5. 6. 12. Matth. XX. 28. 1. Tim. II. 6. Minor habetur expressis in textu Petrino verbis. Stat itaque inconcussa Conclusio.

Dices 1. Altum silentium in sacris literis est de vocabulo Satisfactionis: E. sine fundamento adstruitur. Resp. 1. N. C. quia multa in Scriptura S. sunt, licet non ἐπιτῶσ dicantur. 2. Dantur quàm plurima æquipollentia, partim Ebraea, ut הָרַבָּה Levit. XXV, ubi octies occurrit, à radice רָבָה redemit, liberavit: פָּדָה Ps. CXI, 9. & פָּדָה Exod. XXI, 30. Ps. XLIX, 9. à rad. פָּדָה redemit, liberavit: partim Græca, ut λύτρωσις, Luc. I, 68. Ebr. IX, 12. ἀπολύτρωσις Rom. III, 24. 1. Cor. I, 30. ἀγοράσις, 2. Petr. II, 1. Apoc. V, 9. ἐξαγορασµὸς, Gal. III, 3. Cap. IV. 5. 3. καὶ ἀνθρώπων N. A. reperitur enim, licet in alio significato, Marc. XV, 15.

Dices

*Dices II.* Remittuntur nobis peccata per viscera misericordiâ Dei E. non per satisfactionem Christi Vicariam, *Antec. Luc. I, 77. Consequ.* quia remissio evertit satisfactionem, & vicissim. Resp. i. N. C. Nec probatio ejus procedit: Scriptura gratiam sive misericordiam, & redemptionem sive satisfactionem conjungente, *Rom. III, 24. 2.* Restringendum ergo Antecedens. h. m. sc. per viscera misericordiæ absolutæ, nullo prorsus interveniente satisfactionis pretio, Neg; justitiæ temperatæ, quatenus *ἀντὶ τοῦ* à Christo depositum, ac si nos illud persolvissemus, acceptat, conceditur. 3. Dicitur proinde gratuita remissio ex parte *nostri*, non ex parte *Christi*: Pretio enim redempti sumus *1. Cor. VI, 20.*

*Dices III.* Deus est *omnipotens*: E. absq; interventu satisfactionis peccata, illorumque reatum condonare potest. F. esp. Idem quoque est *justus* nec se ipsum negare potest. *2. Tim. II, 13.* Adversatur enim omne peccatū *naturæ* Dei sanctissimæ, *justitiæ* æternæ, atque *veritati* constantissimæ *Gen. II, 17.* Non itaque attributa divina inter se committenda, inter quæ perpetua intercedit harmonia. Nos axioma Paulinum omnibus Socinianorum obvertimus Strophis; *Absque sanguinis effusione non fit remissio, Ebr. IX, 22.*

III. *Schematici, Marcionite, Manichei, atque Valentiniani,* veritatem humanæ Christi naturæ in dubium vocantes, essent adducendi; sed cū id Chartæ augustia non permittat, consule interea *Luc. I, 35. Ebr. II, 14. Gen. III, 15. Gal. IV, 4.* Quæ loca tantæ sunt evidentia, ut ab adversa parte elidi minimè possint. Sequuntur Porismata, quæ in specie practica vocantur, quorum nec fundamenta adducere, nec eadem diducere licet, propter opus, præter opinionem auctum, itaque nudè quædam indicabimus.

#### ARTICULUS III.

##### *Eruens Porismata Pædæctica.*

- I. Sanctitati vitæ, studeamus. Nam hic præcipuus scopus intenditur oraculo Petri-  
no. Conf. *Lev. XIX, 2. Matth. V, 16. 1. Thess. IV, 3. 1. Pet. II, 12.*
- II. Humilitatem sectemur: quia Christus loco nostri est humiliatus. Conf. *Phil. II, 5.*  
*seqq. Matth. XI, 29. C. XX, 28.*
- III. Crucem nostram patienter feramus: quia Christum habemus præeuntem. Conf.  
*1. Pet. II, 21. Matth. XVI, 24. 2. Tim. III, 12.*

#### ARTICULUS IV.

##### *Tradens Confectaria Epanorthotica.*

- I. Ne quispiam Momus inveniatur, sanguinem pretiosum aspernando: quia gravis  
pœna illi expectanda *Ebr. VI, 6. C. X, 29.*
- II. Ne abluti à peccatorum immunditie, sanguine Christi, sordibus peccatorum nos  
polluamus *2. Pet. II, 20, 22.*
- III. Ne in auro & argento, sed unico Salvatoris merito, spem collocemus: quando-  
quidem aurum & argentum die tremendi judicii invalidum est ad liberandum.  
*Ezech. VII, 19.*

#### ARTICULUS V.

##### *Continens Porismata Paracletica.*

- I. In afflictionibus, erigamus nos conscientia bonitate, & innocentia; quod non  
tanquam malefici, eas sustineamus *1. Pet. II, 19, 20.*
- II. In tentatione, amoris Christi certitudine & *Iob. XV, 13. Rom. V, 8. c. VIII, 35.*
- III. In morte, Redemptionis Christi sufficientia, quod ab omni reatu, & pœna, san-  
guine Christi simus liberati. *1. Job. I, 7. Rom. VIII, 33, 34. Act. XIII, 38.*

Itaque cum choro Ecclesiæ Triumphantis & multitudine Angelorum ex *Apoc. V, 13.* & nos concinimus; Agno qui mactatus est, & ei qui insidet Throno sit *laus, Sapientia, Potestas & Gloria in infinita secula Amen.*

Umg. VI 19

ULB Halle

3

003 144 232



TA-50L  
SR.124: AMN.00

VD 17 Z







Q. D. B. V.  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
**PASSIONE CHRISTI**  
**CRUENTA VICARIA,**

*Ex Oraculo Petrino, Ep. I. c. I. v. 18. & 19.*

quam,  
**PRÆSIDE**  
**VIRO**

*Summè Reverendo, Magnifico, Amplissimo  
atq; Excellentissimo,*

**DN. JOH. GEORG. NEUMANNO,**  
S. S. Theol. Doct. & Prof. Publ. longè Celeberrimo,  
Alumnorum Elector. Ephoro Gravissimo, Acad. Bibliothecario  
meritissimo, & p. t. Ordinis Sacri DECANO  
maximè Spectabili.

*Domino, Patrono, Praeceptore studiorumq; suorum  
Promotore, atatem venerando,*

Publico Examini submittit

**AUCTOR & RESPONDENS**

**M. DAVID LUDOVICUS HILLIÛS,**  
Ecclesiae Stolpensis, quæ est Pomeranorum, Diaconus vocatus.

**IN AUDITORIO MAIORI,**

*Ad diem XX. Martii A.C. cIo lC XCVI.*



**WITTENBERGÆ, Literis GÖDERITSCHIANIS.**